BONAVENTURA

13./14. Jh.

Seite 57r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30429
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

rem amorem huius seculi. quem semper vel cum perit. id quod eligam perdo. vel cum aliud quod magis placeat supervenerit. cum dolore cogor commutare. Sic adhuc dubius incerta fluctuo. dum non sine amore esse possum. non verum amorem invenio.

Video quod saltem in amore temporalium non figis. sed doleo quod in amore eternorum nondum recalescis. Infeliciorem esses si de exilio patriam faceres. nunc vero quia in exilio erras. ad viam revocanda es. De exilio patriam faces. si in ista vita transitoria eternum amorem habere velles. Nunc vero in exilio erras. quia dum terrenis concupiscentiam temporalium amorem non invenis eternorum. Sed magnum salutis principium esse potest. quod amorem tuum mutare didicisti in melius. quia sic ab omni temporalium amore avelli poteris. si maior tibi pulcritudo ostensa fuerit. quam gratius amplectaris.

Quomodo potest demonstrari quod videri non potest. Quod autem videri non potest. quomodo potest diligi. Certe si in rebus temporalibus et que videri possunt. verus et permanens amor non est. necesse est ergo ut si eorum que videntur amorem tollis. alia que salubrius atque iocundius ametur demonstres.

Temporalia ista et visibilia ideo amari debere existimas. quia illis quendam sui generis decorem inesse conspicaris. cur te ipsam potius non diligis. que super tua omnium visibilium decorem et pulchritudine vincas. O si te ipsam aspiceres. o si faciem tuam videres. agnosceres certe. quanta reprehensa fuas. cum aliquid extra te amore tuo dignum estimabas. Primum ergo necesse est ut temetipsam consideres. et tu cognoscas dignitatem tuam ne iniuriam facias amori tuo. dilectoria te non ames. Nam et ea que per se considerata pulchra sunt. pulchrioribus comparata vilescunt. Scis quia amor ignis est. et ignis quidem fomitem querit ut ardeat. Sed cave ne id mittas. quod fumum potius aut fetorem ministrat. Ea vis amoris est. ut talem te esse necesse sit. quale illud est quod amas. et cui per affectum coniungis. in ipsius similitudine ipsa quodammodo dilectionis societate transformaris. Tua ergo aliam pulchritudinem attende. et intellige quale pulchritudinem debeas diligere. Non est tibi invisibilis facies tua. Oculus tui nichil bene videt. si se ipsum non videat. Quod si forte interna illa visio tua per negligentiam obscurata est. et temetipsam ut decet. et expedit contemplari non sufficis. cur saltem quid de te estimare debeas ex iudicio alieno non perpendis. Sponsum habes sed nescis. Pulcherrimus est omnium sed faciem eius non vidisti. Ille te vidit. quia nisi vidisset. non te diligeret. Noluit adhuc se ipsum tibi presentare. sed munera misit. arram dedit pignus amoris. signum dilectionis. Si ergo nosse illum posses. si speciem illius videres. non amplius de tua pulchritudine ambigeres. — Distinctio

Scires quod tam pulchra. tam formosa. tam elegans. tam unice in eius conspectu. captus non esset. si non eum singularis decor. et ultra ceteros ammirandus traheret. Quid ergo agis. Illum videre non potes quia absens est. et ideo singularem eius amorem contempnis. teque aliene libidini turpiter et impudice prostituis. Noli sic facere. Si adhuc scire non potes qualis sit ille qui te diligit. considera saltem arram quam dedit. Fortassis in ipso munere eius quod penes te est potius agnosces. quo affectu illum diligere. quo studio et diligentia te illi debeas conservare. — Anima

Insignis est arra eius. nobile donum eius. quia non magnum decuit vel parva daret. nec parvo sapiens dedisset. Magnum ergo est quod tibi dedit. Sed maius est quod in te dilexit. Sed cave omnia. ne quod absit non sponsa sed meretrix dicaris. si munera dantis plusquam amantis affectum diligis. Maiorem karitati eius iniuriam facis. si et dona illius accipis. et mutue vicissitudinis dilectione non rependis. Sed quid dedit tibi omnia sponsus tuus. Tu nosti quod acceperis. et necesse habes adhuc melius nosse. ne incipias vel de his que non accepisti presumere. vel de his que accepisti gratias non referre. Nam et ipse id ideo hec tibi dedit. ut tu semper ea in memoria habeas. et numquam ab eius amore oblivione tepescas. Primum cogita o anima mea. quod aliquando non fuisti. et ut esse inciperes. hoc eius dono accepisti. Nunc autem amplius dedit. quia non dedit solum te esse. sed pulchram esse. formosam esse. Adhuc aliquid plus dedit. et magis te ad similitudinem fecit. Voluit ad se trahere per similitudinem. quem ad se trahebat per dilectionem. Magno debito obligata es anima mea. multum accepisti. et nichil ante habuisti. — Distinctio